Calidum. Qui non intelligit aut taceat aut discat Humidum

ΠΡΟΓΑΙΔΕΎΜΑΤΑ ἈΦΟΡΙΣΤΙΚΆ

IOANNIS DEE LONDINENSIS,

de Præstantioribus quibusdam NATVRÆ virtutibus, ad GERARDVM MERCATOREM RVPELMVNdanum, Mathematicũ & Philosophum insignem.

Est in hac Monade quicquid quærunt Sapientes

ΣΤΙΛΒΩΝ, acumine præditus, est instar omnium Planetarum.

Erunt signa in Sole & Luna & Stellis Lucæ 21.

Terra. Aqua.



CLARISSIMO VIRO D. GERARDO MERCATORI, RVPELMVNDANO, PHILOSOPHO ET MATHEMATICO illustri: ac amico suo longè charissimo IOANNES DEE LONDINENSIS. S. D. P.



NDECIMVS iam agitur annus (humanissime, doctissimeq;, mi GERARDE) ab illo, quo nostris ego relictis Academijs, omnibusq; nostrarū scholarum, in artium septem (liberaliū dictarū) professione, percursis ordinibus: sine subere (vt in prouerbio est) nare: & in Regiones transmarinas cœperam peregrinari: ad ipsos inuestigandos fontes, à quibus hac nostra ætate, plurimi ad nos optimarum quarumq; Artium deducebātur canaliculi: & cum illis vitam ducere familiarem, quorum vel leuissimus quisq; vnius diei in scribendo, labor, nobis antea domi desidentibus, per anni ferè vnius spatium, satis (ad intelligendum) faceret negotii. Atq; in isto primæ meæ peregrinationis inchoato cursu, quoniam in te, primum omnium, Louanii tum agentem, incidere, maximo mihi summi Numinis obtigit fauore: & ex tuis mecū disceptationibus, tum primas tū altissimas vt radices ageret tota mea peregrina philosophādi ratio: Nūc proinde Ego esse æquū censeo, rationiq; maximè consentaneū, vt iam primò peregrinantes, laborū etiam tu meorum primitias, iure tibi vendices meritissimo. Et maximè, cum mutuæ nostræ amicitiæ, familiaritatisq; cōsuetudo ea erat, toto vt triennio, vix totos tres simul dies, alter alterius lubens careret aspectu: & ea vtriusque nostrûm discendi, philosophandiq; auiditas, vt postquā conuenissemus, tribus vix horę minutis, ab arduarum & vtilissimarum rerum indagatione abstineremus, An non huius nostrę tam sinceræ amicitiæ, & tam suauiter continuatę philosophandi rationis, gratia, aliquod saltem συντάγμα, vel monumentum, sempiternæ hominum memoriæ commendare debuimus: vt inde

 uauissi-

suauissimum illud amicitiæ vinculum, quo nostri in perpetuum copulantur animi, suis quoque nectere disputationibus, postera studiosorum excitetur ętas? Et non alter alterius vel cōtemnere studia, vel eruditioni inuidere: capita sed simul conferre, ad veri inquisitionem, & vtilissimas amplificandū disciplinas. Atq; vt hanc potissimum materiam, hoc tempore mihi tractandam, eligerem: penultimæ tuę ad me literæ, in quibus, de nobili illa, inter nos olim agitata, controuersia, memoriam mihi velle refricare, videbaris, occasionem dedere. Nec in istius enodatione, seu potius demonstratione, longiorem me nunc esse, vel valetudo, quæ iam per integrum annum periculosissimè labefactata fuit (etiamsi voluissem maximè) tolerauit: vel ipsa, de Cœlestium corporum virtute, Disciplina, desiderare videtur. Ex his enim quæ in medium attulimus, tum ad infinitos particulares, in Arte casus, Apodicticè procedēdi haberi facultas potest: tum ipsa preterea disciplinæ prȩcipua, in his sunt iacta, confirmataq; fundamenta: vnde de aliis eius Artis quid sit statuēdum præceptis, industrio facile constabit artifici. Non tamen infinitas multorum & ἀνχιτιολογητασ probo nugas, vel futilia decreta: quæ, nec ipsi talium scriptores, rationum stabilire momentis posint, nec vllus vnquam alius, à Naturæ viribus talia proficisci, obseruando intelligere. Tu ergo qui NATVRAE obseruantissimus esse Cultor soles: NATVRAE, in istis Aphorismis, scrutare virtutes veras, virtutes magnas, virtutes paucis vix credibiles Sapientibus, at paucissimis notas. Et ne τῶν ἀμυητωρ τισ, suo sibi malo, ea hinc expiscari, eliceréue contendat, quæ illi non sint scripta, tu cum RECEPERIS, edicas publicè. Atq; hæc hactenus. Cū autem in literis tuis ad me, ferè omnibus, quid ipse prę manibus habeam, à me scire, soles contendere: & in illis certè, quas ante nominaui, penultimis mecum egisti maximè, ut magnum illud opus meum Apodicticum, de Arte noua (vt tu vocas) quàm primum vel in lucem darem, vel eius te vt participem facerem: me Scias, præter periculosissimum, quo toto iam proximè elapso anno laboraui, morbum, alia etiam multa (ab illis, qui. &c.) esse perpessum incommoda, quæ mea studia plurimum retardauere: Viresque etiam meas, nondum posse tantū sustinere studii laborisq; onus, quantum illud, Herculeum penè (vt perficiatur) requiret opus. Vnde

si mea

ſi mea haud queat opera, vel abſolui, vel emitti, dum ipſe ſim ſuperſtes: Viro illud Legaui eruditiſsimo, grauiſsimoq́;, qui Artium Mathematicarum vnicum nobis eſt relictum & decus & Columen: nimirum D. D. Petro Nonio Salacienſi: Illumq; obnixè nuper oraui, vt, ſi quando poſthumum, ad illum deferetur hoc meum opus, benignè humaniterq; ſibi adoptet, modiſque omnibus, tanquam ſuo, vtatur: abſoluere denique, limare, ac ad publicam Philoſophantium vtilitatem perpolire, ita dignetur, ac ſi ſuum eſſet maximè. Et non dubito, quin ipſe (ſi per vitam valetudinémq; illi erit integrum) voti me faciet compotem: cum & me tam amet fideliter: & in artes, Chriſtianæ Reip. ſummè neceſſarias, gnauiter incumbere, ſit illi à natura inſitum: voluntate, induſtria, vſúq; confirmatum. Tuis igitur votis, de laborum meorum euulgandis monumentis, nondum me poſſe ſatisfacere, licet iam clarè ſatis docui, Si tuæ tamen petitioni de ſcriptorum meorum habenda Catalogo, non reſponderem, meritò me maximæ damnares ingratitudinis: En tibi ergo eorum Titulos, quę per medias meas, maximáſq; difficultates, ita à me mihi cōpoſita, ſcriptaq; extant, vt eadem (cum viribus valeam corporis, dulcíq; fruar ocio) in publicum producere (non mihi tantum eſſe cognita,) exoptem maximè.

1 Περὶ Ἀκριβολογίας τῆς Μαθηματικῆς. opus mathematicè demonſtratum. lib. 16.

2 De Planetarum, Inerrantium ſtellarum, Nubiumq; à centro terrę diſtantiis: & ſtellarum omnium veris inueniendis magnitudinibus. lib. 2. demōſt.

3 De Speculis comburentibus. lib. 5. demōſt.

4 De Perſpectiua illa qua peritiſsimi illuſtriſſimíq; vtuntur pictores. lib. 2. demōſt.

5 De tertia & pręcipua Perſpectiuę parte, quę de radiorum fractione tractat. lib. 3. demōſt.

6 De Cœleſtis Globi ampliſsimis cōmoditatibus. lib. 2.

7 Speculum vnitatis: ſiue Apologia pro Fratre Rogerio Bachone Anglo: in qua docetur, nihil illum per Dæmoniorum auxilia feciſſe, ſed Philoſophum fuiſſe maximum: na-

turaliterq;, & modis homini Chriſtiano licitis, maximas feciſſe res: quas, indoctum ſolet vulgus in Dæmoniorum referre facinora. lib.1.

8 De noua Nauigationum ratione. lib. 2.

9 De Anuli Aſtronomici multiplici vſu, capita centum. lib.1.

10 De Religione Chriſtiana. lib.6. demõſt.

11 περὶ Ἀναβιβασμῶν θεολογικῶν. lib.1.

Aliorum adhuc tacebo nomina: qui tamen ante iſtorũ quoſdam (annuente Deo) publica frui luce poſsint. Hoc autem opuſculum, (numero duodecimum) leui munitum armatura, tanquã Exploratorem, in varias emitto regiones: vt vera mihi doctorum proborumq; hominum referat iuditia, votáq;, hæc à me tanta tractari, luciq; promitti argumenta. Vt ex iſtius Exploratoris relatione, mecum & doctis cum amicis, rationem inëam, nũ iſtas meas (qualeſcũque) copias, in peregrinos actutũ producere cãpos, vel domi, adhuc diligẽtius, in militari educare diſciplina, debeam. Iam reſtat vt te maximè orem, egregia tua Inuenta, tàm in excellentiſsima illa Philoſophiæ parte, quæ phyſica vocatur, quàm in geometricis, & geographicis rebus, publicis (quam primum queas) vt committas hominum ſtudiis: ſic enim Rempub. literariã (de qua annos ante multos, multis magniſq; tuis laboribus, es optimè meritus) iſtis vtiliſsimis tuis, nouiſq; Inuentis, eximiè profecto amplificabis. Valeas: Cæptíſq; tuis pulcherrimis, Deus Opt. Max. exitus largiatur fœliciſsimos. Iterum VALE.

Londini: à noſtro nato Redemptore 1558 Iulii.. 20.

IOANNIS DEE LONDINENSIS

De præſtantioribus quibuſdam NATVRAE virtutibus Προπαιδεύματα ἀφοριστικά.

Aphoriſmus I.



T DEVS, ex Nihilo, contra rationis & Naturę leges, cuncta creauit: ita in nihilum abire, rerum creatarum aliqua nunquam poteſt, niſi contra rationis naturæq́; leges, per Supranaturalem Dei potentiam fiat.

II.

MIrabiles ergo rerum naturalium Metamorphoſes fieri à nobis, in rei veritate poſſent, ſi artificioſè naturam vrgeremus.

III.

Non ſolum ea Eſſe aſſerendum eſt, quę actu in rerum natura ſunt conſpicua, notaq́;: Sed & illa quoq́; quę quaſi ſeminaliter, in naturæ latebris, extare Sapientes docere poſſunt.

IIII.

QVicquid actu exiſtit, radios orbiculariter eiaculatur in ſingulas mundi partes, qui vniuerſum mundū ſuo modo replent. Vnde omnis locus mundi, radios continet omnium rerū in eo actu exiſtentium

V.

TAm ſubſtantia quam Accidēs, ſuam à ſe ſpeciem exerunt: Sed Subſtantia omnis, excellentius

lentius multò quàm accidens. Et Substantiarũ quidem, illa quæ incorporea & spiritalis est, in hoc munere longè superat illam quæ est corporea, ac ex fluxis coägmentata elementis. Licet quantò res sunt nobiliores, tanto incompletiorem suam Speciem faciant: Species enim completa, idẽ obtinebit nomẽ cũ principali agente.

VI.

SIcut vna res differt ab alia, ita et earundem radij differunt in efficiendi virtute, & effectus cõditione, dũ circa eandem omnino rẽ operantur

VII.

RAdiorum quorumcunq; ab vna re in diuersas emanantium, diuersi sunt effectus.

VIII

QVicquid in aliud agit, simile quodã modo est, at alio quidem modo disimile prorsus illi est in quod agit, aut nulla est actio.

IX.

QVicquid in mundo est, ad aliud quid ordinem habet & conuenientiam.

X.

Quęcunq; res sunt sibi mutuo coördinatę, vel conuenientès, vna aliam tum sponte imitatur sua, tum etiam aliquando vna ad aliam localiter accurrit: vnaq; aliam (quantum potest) tuetur & munit, etiamsi interea vis sibi inferri videretur. Per harum ergo rerum naturaliũ (mo-

dis

dis varijs) in mundo separatim existentium, vnionem: & aliarum seminaliter tantũ prius in natura positarum, actuationem, miranda magis, verè, naturaliter, nec violata in Deum fide, neq; christiana lęsa religione, pręstari possunt, quàm quis mortalis, credere queat.

XI.

Mũdus iste est quasi lyra, ab excellẽtissimo quodã artifice cõcinnata: cuius chordæ, sũt hui9 vniuersitatis res singulę, quas qui dextrè tãgere pulsareq; nouerit, mirabiles ille eliciet harmonias.

XII.

Sicut lyra constitutio quædam est tonorũ cõsonantium atq; dissonantium, aptissima tamen ad suauissimam & infinita varietate mirabilem exprimẽdam harmoniam: Sic Mundus iste partes intra se complectitur, inter quas arctissima conspiciatur Sympathia: alias autem inter quas dissidium acre, atq; antipathia notabilis: ita tamẽ, vt tum illarum conspiratio mutua tum istarum lis atq; dissentio, ad Totius consensionem atq; vnionem admirandam egregiè faciat.

XIII.

Sensus nostri, non sunt sensibilium radiorũ à rebus effluentium causæ, sed testes.

XIIII.

Species non solum spiritales, sed etiam aliæ naturales à rebus effluunt, tum per lumen tum si

ne

ne lumine: non ad visum solum, sed ad alios interdum sensus, & præcipuè in Spiritu nostro imaginali, tanquam Speculo quodam coalescunt, seseq; nobis ostendunt, & in nos mirabilia agunt.

XV.

NVllus motus perfectior orbiculari, Nec vlla qualitas humanis exposita sensibus, L V C E est vel prior vel præstantior. Corporum igitur præstantissimorum & perfectissimorum, hæc duo maximè propria erunt.

XVI.

Quicquid in mundo est, continuè mouetur aliqua motus Specie.

XVII.

PRo ratione motuũ primorum, qui sunt cœlestiũ corporũ maximè proprii, cęteri inferiorum motus omnes naturales & excitantur et ordinantur. Mouētur autem ipsa Cœlestia aliquãdo sursum, aliquando deorsum: in anteriorem aliquando partem, aliquando in posteriorem, aliquando versus vnum mundi, vel Eclipticę polũ, aliquando versus alterum.

XVIII.

IN quatuor huius inferioris mundi Elementis, sunt quatuor distinctę qualitates, quæ ab omnibus philosophis, primę vocantur. Quarũ effectus naturales, tum principales tum secundarios tum

tũ etiã tertios, quã potes exactiſsimè diſcas: Modumq́; reducendi tertios ad ſecundos & ſecundos ad primos: Itidem tibi eſt ſummopere examinandum, quibus caſibus, eadem qualitas, diuerſorum, imò contrariorum nonnunquam effectuum eſſe cauſa poſsit.

XIX.

Si quarũcunq́; qualitatum res, & in quacunq; quantitate commiſceantur, vt de compoſiti illius vera natura fias certior, per artem quandam, Graduationum dictam, tibi eſt elaborandum.

XX.

EX qua elemẽtorum, & primarum qualitatũ ꝓportione ſingulę humani Corporis partes humores, & ſpiritus conſtent (quã propè fieri poteſt) Aſtrologo eſt peruidendum. In alijs etiam rebus naturalibus idem experiri, atq; intelligere eſt ſummè neceſsarium, & valde iucundum.

XXI.

SEmen in ſe potentia habet generationis cuiuſq́; integrũ & conſtantem ordinem: eo quidẽ modo explicandum, quo & concipientis loci natura, et Circumfuſi nobis cœli ſuperuenientes vires, cooperando conſpirant.

XXII.

Sicut primi motus priuilegium eſt, vt ſine eo torpeant omnes reliqui; ſic primæ et præcipuæ qualitatis ſenſibilis, (nimirum LVCIS) ea eſt fa-

cultas, vt sine ea, cęterę qualitates agere nihil possint.

XXIII.

OTι αἱ διάνοιαι ἕπονται τοῖς σώμασι καὶ οὐκ εἰσὶν αὐταὶ μεθ' ἑαυτὰς ἀπαθεῖς οὖσαι τῶν τοῦ σώματος κινήσεων, quis philosophorũ nõ decãtat? quis mortaliũ nõ in seipso id ferè quotidie experitur? Vt etiã & τοῖς τῆς ψυχῆς παθήμασι τὸ σῶμα σύμπαθον γίνεται. Vnde Medicus per corp⁹ sanat animã atq; tẽperat. Music⁹ autẽ p animã corpori medetur & imperat. Qui ergo quãplurimis modis tum medici tum musici poterit supplere munus, is hominum & corpora & animos pro sua ferè gubernaret voluntate. Verũ hoc est à modestius philosophantibus, mysterii cuiusdã instar tractandum.

XXIIII.

Illa Deus in Magnete proposuit oculis mortaliũ spectãda, qualia aliis in rebus subtiliori mẽtis indagini, & sedulitati experiendi maiori, inuenienda reliquit. Ego tibi vim eius attractiuã primò, deinde repulsiuã siue abactiuã, tertiò certi cuiusdã situs appetitionẽ, Et quartò per solida corpora radios suos traiiciendi potentiam, nũc solum in mentem redigo: aliàs alia eiusdem lapidis, quasi miracula (diuino fauẽte Numine) explicaturus.

XXV.

DVplices sunt stellarũ omnium radii: alii sensibiles siue luminosi, alii secretioris influentię.

tiæ. Hi omnia quę in hoc mundo continentur, penetrant: illi ne adeò penetrent, quodam modo impediri possunt.

XXVI.

STellę & vires cœlestes, sunt instar sigillorum, quorũ characteres pro varietate materię elementaris variè imprimuntur. Quemadmodum & nostrorum sigillorũ insculptę formę, facilius in vnam materiam quàm in aliam imprimũtur: elegantius in vna, quã in alia: & tenacius in vna quàm in alia hęrent: & in quibusdam ad quandam quasi perpetuitatem.

XXVII.

TAm solida quam diaphana cuncta, quę intra mundi ambitum existunt, penetrandi vis, cœlestium radiorum maximè propria, magnam illis influendi, siue suas imprimendi vires facilitatem inesse demonstrat. Vt autem cum elegantia quadam, deinde cum tenacitate, vel ad infinitũ tempus retineatur immissa virtus, id ex materię in quam influitur dispositione vel pręparatione artificiosa, tam in visibili forma quam in elementaribus qualitatibus & aliis prouenire debet.

XXVIII.

PRimũ mobile est instar speculi sphęrici cõcaui, cuius qualẽcũq; soliditatẽ nullus stellarũ radius penetrare potest, cum nullus esset talis penetrationis vsus apud superos: sunt & alię per-

plures

plures demonstrationes.

XXIX.

Quascunq; vires per sensibiles radios, stellę efficiendo exercent, non solum directis, sed etiam fractis & reflexis illis radiis, tales suas vires ad effectus oportunos promouere possunt.

XXX.

MAgnitudines verę non solum terrestris globi, sed & planetarum fixarumq; omnium stellarum, astrologo debent esse notę.

XXXI.

DIstantię verę tam fixarum, quam singulorũ planetarum à centro terrę, quocunq; proposito tempore, astrologo constare debent: sicut & nubium, siue crassioris aëris varię à terra altitudines.

XXXII.

Quibus terrę locis, quęcunq; stella siue fixa siue erratica quocunq; dato tẽpore perpẽdiculariter immineat: & quantum incidentię directę angulum cum omnibus aliis locis, supra quorũ horizontes eadem stella, eodem temporis momento eleuatur, efficiat, cum primis est cognitu necessarium.

XXXIII.

SEnsibilem omnem radium, á stellæ alicuius corpore ad punctũ aliud quodcunq; externũ emanantem, ac cum eiusdem stellę conuexa superficie ęquales vndiq; efficientem angulos, circumstat

cumſtat conus rectus, radioſus, ſenſibiliſq; cuius axis, ipſe dictus radius erit. Vertex vero punctum illud externum. Baſis denique, conuexę ſuperficiei ipſius ſtellę ea portio luminoſa quę dicto vertici eſt proxima, terminaturq; per circuli circumferentiam, ab illo termino lineę rectæ (à dicto vertice ad ſtellam ductę) qui ipſam ſtellam contingit tantum, deſcriptam.

XXXIIII.

RAdiorum à baſi luminoſa alicuius ſtellę ad aliquod externum punctum effluentium, axis eſt fortiſsimus, & reliquorum, quò ipſi axi fuerint propinquiores, eò erunt remotioribus, fortiores, reſpectu dicti puncti. de radiis ex profunditate ſtellicorum corporum egredientibus, alius nobis erit dicendi locus.

XXXV.

A Stellis terra minoribus, ſenſibiles cũcti qui exeunt radii directi ad terrenę conuexitatis, quantam maximam poſſunt portionem, ab ipſarum cõuexarum ſuperficierũ (quę tales ſtellas ambiunt,) portionibus veniunt, quę ſunt dimidiis maiores. Et quo terrę propiores fuerint eò à maioribus illis portionibus radios ſuos directos terræ cõmunicant. Nunquam tamen terrenę conuexitatis dimidiũ ſuis illis ſenſibilibus radiis attingere queunt, ſed portionem eiuſdem dimidio minorem.

XXXVI.

OMnes stellę terra maiores, plus quā̃ dimidium terrenę conuexitatis, omni tempore suis sensibilibus & directis radiis illustrant: Semper etiam à suę conuexę superficiei portione dimidio minore, illos terrę impertiunt radios. Et quò terræ propinquiores fuerint, eò à minore tali portione radios illos directos ad terram demittunt.

XXXVII.

OMnes stellæ terra minores, quanto terrę propinquiores fuerint, tanto fortiores, eidem suos vtriusque generis radios infūdunt: licet minorem eiusdem portionem sensibilibus suis directisque radiis afficiant, quàm quando sunt remotæ magis.

XXXVIII.

OMnes stellæ terra maiores, quanto terrę viciniores fuerint, tanto fortiores illi suos quoscunque imprimunt radios: & terrę etiam maiorem portionem sēsibilibus suis, directisque radiis illuminant, quàm quando longiori sunt semotę interuallo.

XXXIX.

PErpendendę tibi sunt cum summa diligentia, Terrę & stellarum quarumcunque tum terra maiorum, tum terra minorum, portiones illę Superficiales, Sphęricę conuexitatis, in stellis

lis quidē luminosę, at in terra ab ipsis luminosis illuminatę, quę ꝑ variis stellarū à terra interuallis, diuersarum fiunt quantitatū. Et tam in terra quam in stellis terminantur per terminos superficiei conicę curtæ, à linea recta, tum ipsam terram, tum ipsarum stellarum corpora contingente, descriptæ. Atq; de his portionib⁹ egimus propositionibus. 35. 36. 37. & 38.

XL.

Ad quodcunq; punctum totius mundi venit alicuius stellę conus rectus, radiosus, sensibilisq;, eiusdem coni basis, minor quidem semper erit, quam dimidium conuexę superficiei ipsius stellę, cuius ille fuerit conus. Videant ergo astronomi qua ratione, stellarum metiantur diametros.

XLI.

Quanto eadem stella ab aliquo puncto totius mundi remotior fuerit, tanto sui radiosi coni recti sensibilisq; basis, maior euadit, & quāto propinquior, tanto minor.

XLII.

EXaminanda tibi erit quantitas huius basis conicę, in omni positu cuiusque stellæ, respectu vnius alicuius puncti, vbicunque illud punctum statuatur.

XLIII.

EIusdem stellę Coni recti luminosi longiores, sunt ipsis breuioribus, quibusdam de causis fortiores

fortiores: at alias ob causas, lõgè debiliores: fortiores quidem èo videri possunt, tum quod eorum bases luminosæ, maiores sunt, tum quia anguli ad verticem, minores fiant. Ex his duabus causis simul iunctis, hæc nascitur ratio: Quod in longioribus conis, copiosiores radii, non incidẽtes solũ sed etiam reflexi, magis vniuntur: vnde maior vis circa talem verticem exercetur. Sed naturaliter & simpliciter propinquitas agẽtis ad id in quod agit, breuiores conos, fortiores efficit.

XLIIII.

QVantitatem illius conuexæ superficiei lunaris, quę quocunq; dato tempore, nobis illuminata conuertitur, accuratè elicias.

XLV.

HOrizontem nostrum verum, illum appellamus circulum, qui circumductu eius lineæ describitur, cuius quiescens terminus in terræ centro fuerit, alter vero in summo statuatur cœlo: ita vt à nostro vertice in huius circuli centrũ demissa recta linea, eidem circulo perpendicularis existat. At sensibilem nostrum horizontem, alibi demonstrauimus esse illam terrestris sphæræ conuexam portionem, quæ (omnibus super terrę vniformem conuexitatem, remotis impedimẽtis) nobis est cõspicua tota, terminaturq́; per

circuli

circuli circumferentiam, ab illo termino lineæ rectæ (ab oculo noſtro ad terræ contactum ductę) qui ipſam terram contingit, deſcriptam. Hancq; portionem aliquando maiorem, aliquando minorem à nobis poſſe conſpici, pro varia noſtrę altitudinis ratione ſupra vniformem terreni globi conuexitatem, ibidem docuimus. Ex hac quidē conſideratione plurima pendent, quę tum in optica, tum in aſtrologia magni eſſe momenti, experientes percipient.

XLVI.

Omnes ſtellę maiores terra, ab aliqua ſui portione radios ſenſibiles directos, ad nos mittere poſſunt, antequam earundem centra ad noſtrum verum horizontem oriendo peruenerint: Atque ratione eadem, in occaſu ſub ipſo vero horizonte depreſſis earundem centris, nos tamen illuminare ſuis directis radiis poſſunt.

XLVII.

Omnes ſtellę cum in horizonte vero alicuius loci terreſtris fuerint, plus in recta linea, ab illo loco diſtant, quam cum ſupra illius loci horizontem ſunt eleuatę: ſiue vno eodemque die, ſiue quibuſcunque diuerſis: modo eiuſdem ſtellę, in illis variis temporibus, ęqualis fuerit diſtantia à centro terrę. Aliôqui enim ſol in ♑ principio oriens, longè nobis propinquior eſt quam quo-

rum

rum imminet capitibus, in Cancro versás: & hoc propter suę eccentricitatis magnitudinem: quæ etiam mutabilis est.

XLVIII.

SOlem infra nostrum verum horizontem existentem, accidentarij sui luminis radios ad nos ab aëre procurare, Crepusculinę eius Luces demonstrant: Tres igitur Superiores & fixarũ plurimæ, cum magis sub horizonte latent quam ipse Sol in Crepusculi matutini principio vel vespertini fine, nobis, sui accidentarii Luminis virtutem, (licet per se non tam sensibilem quam Solis) communicabunt, instar quorundã suorũ crepusculorum. Planetas etiam Sole inferiores hoc modo considerandos moneo. Fitq́; hoc (vt dixi) non per principalem aliquem radium, (scilicet vel directum fractum vel reflexũ) sed per Speciei Speciem, vt ὀπτικησ & κατοπτρικησ periti, vulgariter loquũtur philosophi. Qua ratione Solaria Crepuscula inæqualia fiant, vide: & de aliorum planetarum Crepusculis (vti nos nunc illa appellamus) simili perquiras methodo.

XLIX.

Qua ratione stellę fixę & singuli planetę tam infra horizontem, quam alibi constituti, ad nos vel alia terrę loca, radios tum luminis, tum Se-

creti-

cretioris virtutis ab ipſo cœlo, Luminis autem, nō ab ipſo cœlo ſolum, ſed aëre, nubibus, aqua, mōtibus, & ſimilibus corporibus reflectant, perſcrutare: radiorumq́; cœleſtium fractiones multiplices attēde in aëre & nubibꝰ: & infinitā Dei bonitatem Sapientiamq́; admirari et laudare cogêris.

L.

Vt ſtella quęlibet proprium habet nomen ex ipſius Dei impoſitione, Sic & naturam in ſe habet propriam, qualis in nulla alia, eadem omnino inueniri poteſt.

LI.

AD quodlibet totius mundi punctū, & quolibet temporis momento, ab omnibus ſtellis fixis & planetis fit talis radiorum cōcurſus, qualis ex omni parte ſimilis ad nullum aliud punctum, nec vllo alio tempore, naturaliter conſtitui poteſt.

LII.

Κατοπτρικῶς ſi fueris peritus, cuiuſcunq; ſtellæ radios in quamcunq; propoſitam materiam fortius tu multo per artem imprimere potes, quā ipſa per ſe Natura facit. Hęc quidem Antiquorū Sapientum multo maxima naturalis Magię pars erat: Et eſt Arcanū hoc, non minoris multo

dignita-

dignitatis, quam ipsa augustissima philosopho-rum ASTRONOMIA, INFERIOR nuncupata: cuius insignia, in quadam inclusa monade, ac ex nostris Theoriis desumpta, tibi vnà cum isto libello mittimus.

LIII.

SI quid vel solis lumen per lunam efficiat, vel quid ipsa ex se sola, nullis imbuta SOLIS radiis, pręstare possit, cognoscere quis cupiat: ex plenilunio, & Lunæ eclipsi totali cum mora, artificio catoptrico, elicere potest. Vt ad alia autem, eundem traducat experiendi modum, non opus est vt moneam.

LIIII.

Quo magis ad perpendicularitatem super aliquã elementarem superficiem accedit axis radiosus alicuius stellę, eò fortius circa talem suę incidentiæ locum, suas quascunque vires illa stella influet: directo quidem modo propter maiorem agentis vicinitatem: reflexo autem, per radios luminis fortius tunc operabitur, quia reflexi tales radii ad incidentes vicinius conduplicantur. Eccẽtricitatis ratio, in diuersis zodiaci locis, planetas propiores nobis exhibere potest, cũ acutissimus prorsus erit incidẽtię angulus cum nostro vero horizõte, vel alia superficie. At nos, & supra de hac re diximus: & nunc significam⁹ in æqua-

libus

libus a centro terrę distantiis generalē hunc nos enunciare aphorismum: esse tamen tum vtilissimum tum iucundissimum cōsiderare exceptionis huius rationē, in variis eccentricorum circulorum locis.

LV.

Quò stellæ eiusdem Mora, supra horizontem maior fuerit, eó ad suæ cuiuscunq; virtutis fortiorem faciendam impressionem per directos suos radios, est accomodatior.

LVI.

EX horum tantum trium diuersa contemperatione, scilicet vicinitatis, anguli incidentiæ, & Moræ, ò quam multiplex consurgit ratio pro viribus eiusdem stellę exercendis, supra alicuius loci horizontem.

LVII.

MOmentaneus quilibet cœli status, tum effectus suos mætit infinitos, tum in aliorum euentuum semina, (congruis maturanda constellationibus) vires intēdit ac imprimit efficaces.

LVIII.

Omnium cœlestium motuum, ille velocissimus est quem versus occasum, viginti quatuor æqualium horarum spatio, ęquatoris conficit peripheria: atque hunc, Diurnum Totius motum, vulgariter vocant.

LIX.

Quò ęquatori ſunt propiores paralleli circuli, eò citatiore motu verſus occaſum, illorum circũferentię, æquatoris ſequuntur motum.

LX.

Quam inter ſe rationem habuerint, circulorum duorum quorumcunq; ęquatori parallelorum, circumferentię, eandem rationem habebunt, & earundem velocitates in diurno totius motu: Hoc tu ad planetas & ſtellas fixas transfer, diurnorum arcuum reſpectu. &c.

LXI.

PEriodos quaſcunq; videmus NATVRAE prępotentis inuiolabili lege, à cœleſtibus ipſis abſolui corporibus, maxima cum diligentia, à nobis animaduertendas aſſerimus: PERIODVM hoc loco vocamus, planetę, ſtellę fixę, vel alicuius cœleſtis puncti, ad priorem locum vel priori valde ſimilem, per circularem motum, completam reſtitutionem.

LXII.

A NATVRA omnes hos recipimus circulos: horizontem Meridianũ, æquatorem, & illi parallelos omnes: eclipticam: eccẽtricos planetarũ: epicyclos, & alios, quos ex Theoricis planetarum, accuratè diſcendos, monemus.

LXIII.

CIrculi omnes, positionum vulgariter dicti, sunt circuli naturaliter definiti: Cum omnes illi quorũdam aliorum locorum sint horizontes veri, etiamsi infiniti tales, inter horizontem tuũ & meridianũ statuerentur. At quò propius versus mundi polos accedis, Naturam vides quasi peditentim istos recusare: duasq; tantũ ex tribus illis generalissimis, Cœlestia Themata describẽdi vis, sibi sub polis assumere: vt et sub ęquatore duas pręcipue admittit: in locis autem intermediis tres: per meridianos scilicet: circulos, eclipticę longitudinem ad rectos secantes angulos: & per istos horizõtales: licet infinitis aliis modis Natura suarum distinguat virium proprietates.

LXIIII.

Periodus æquatoris est alicuius in ęquatore, vel alterius puncti cœlestis, ad eundem meridianũ, restitutio, vigintiquatuor æqualium horarum spatio, per motũ Totius diurnum, absoluta. Hęc autem omnium cœlestium periodorũ, est simplicissima, sibiq; semper æqualis.

LXV.

DIes naturalis, siue periodus Solis diurna, est tempus quod fluit, dum per Totius motum diurnum, Solis centrum ad eundem reducitur meridianum: Ista quidem periodus valde inęqualis

qualis existit longitudinis,

LXVI.

ANnus tropicus Solaris, est tempus periodicum quo Sol, per proprium suum motum, ad eundē ecliptice locum restituitur. huius magnitudo hac nostra ætate, obseruata est, dierū esse 365, horarum, 5, & scrupulorum primorum, 55, secundorum autem fere, 20. Mutabilem etiam huius esse longitudinem, obseruationes excellentiū Mathematicorū exactissime, demōstrant.

LXVII.

Annus Solaris siderius, est tempus periodicum quod labitur interea dum Sol per propriū motū suum, ad eandem stellā fixam redit: vel ad æqualem prorsus distantiam (secundum ecliptice longitudinem) ab eadem stella fixa. Cuius magnitudinem, Thebites Choræ filius inuenit dierum naturalum, 365, horarum, 6, scrupulorum primorum, 9, secundorum autem, 20: Copernicus autē aliquanto maiorem hoc nostro seculo esse, demonstrauit: per, 20, circiter secunda, scilicet.

LXVIII.

Lunares periodos veras, tum ad eandem ecliptice longitudinem, tum ad Solis coniunctionē, exacta ratione per numeros examinatas, pro quocunq; dato tempore, habeas. Sunt enim inequales valde.

LXIX.

PEriodus Lunę diurna, siue dies lunaris, est per motum Totius diurnum, lunaris cētri ad eundem meridianum restitutio perfecta: singulis penè diebus, hęc, suam mutat quantitatem. Similes etiam reliquorum planetarū restitutiones ad eundem meridianum, considerantes, easdem appellabimus eorundem Dies: videlicet vel Saturni, vel Iouis, vel Martis, vel Veneris, vel Mercurii. Fixarum stellarum tardissimus motus, diei vnius spatio, parum exhibebit discriminis inter suam & æquatoris diurnam periodum.

LXX.

Vt Luminarum secūdum eclipticam, ita reliquorum quinq; planetarum omnes, quas verè & naturaliter conficiunt periodos, tibi omni tempore perpendendas commendamus, tam in eccentricis, quam in epicyclis suis, per proprios suos motus. Simplices quidem per se (quantum potes) vt distinguas, compositas item seorsim, monentes.

LXXI.

Vt Lunę periodicas cum sole coïtiones obseruamus, ita & cuiusq; planetę reditum ad alium tardiori affectū motu (vero quidem et proprio) quam is est, cuius restitutionem periodicam cōsideramus, maxima diligentia notandum significamus,

ficamus.

LXXII.

Vt motus ille, qui eſt æquatoris proprius, omnium cœleſtium motuum eſt velociſſimus, ita planetarum omnium periodi diurnę, ſunt omnium quas verè conficiunt, breuiſſimo tranſactę tempore.

LXXIII.

EX cœleſtiũ corporum imitatione, quę in inferioribus regulari aliqua & ordinata fieri ratione cernitur, ſincerę veritatis amãtes, ſtudioſéq; experientes, clariſſimè elicere poſſent, quę res, vel tota, vel in ſui aliqua parte, cui planetę, fixæ, vel plurium ſtellarum colligationi ſubiiciatur maximè: ita vt ille planeta, ſtella fixa vel plurium ſtellarum colligatio, huius rei vel effectus, pręcipuus et quaſi proprius ſignificator (aſtrologorum vt vtamur phraſi) poſſit cenſeri. Iſtam autẽ imitationem variis poſſe modis fieri, cuïuis cõſtare credo philoſophãti. Nõ me ergo eſt vel in motu ſolo, vel figura, ſed in aliis etiã proprietatibus, & qualitatibus hãc obſeruari velle putãdum.

LXXIIII.

IN qua ſignificatione aliquis planeta, ſtella fixa plurium ſtellarum commixtio, vel cœli locus pręcipuè excellit, ad illum ſignificatorem, omnes reliqui tum planetę tum fixę, in illa quidem

ſignificatione cõparari debẽt: vt quid vel auxilij, vel impedimẽti ab illis aliis recipiat, in ſui muneris adminiſtratione, artificioſa eliciatur indagine.

LXXV.

Quod fixarum mutua interualla ex omni temporis æternitate nũquam ſunt mutata, huius elementaris mundi illis rebus, quæ et ſui etiam ſtatus conſtantem valde retinẽt conditionem, iſtas maximè præeſſe demonſtrat. Cum tamen, & iſtę, motu quodã (ſcilicet tardiſſimo) ſecundũ eclipticę longitudinem verſus orientem, tam ferantur vniformiter, ac ſi omnes vno eodemq; agerentur ſpiritu, hoc quidem & maximarum noſtrarum rerum, ſeu illarum quas iam, è noſtris, maximè conſtantes, ſuiq; ſimiles maximè, iudicamus, mutationes, viciſsitudinesq; fieri ſignificat. Iſtarũ deniq; per diurnũ Totius motũ, circunductio, ad totam illam cœleſtem cõſtantémque harmoniam, ex omnibus ſtellis fixis reſultãtem, qua ſibi mutuo ſunt colligatę (quę etiam rerum omnium quaſi Forma prima exiſtit) toti elemẽtari regno & totam cuilibet eiuſdem particulę, per principales partim ſuos radios, partim per accidentarios, abundantiſsimo quidem modo impertiendã, (ita ordinante Totius beneficẽtiſsimo & Sapientiſsimo Opifice) eſt inſtituta. Et hoc ni eſſet, Nullum, ne vno quidẽ die (naturaliter)

liter) prẹseruaretur indiuiduum.

LXXVI.

Vt fixarum motus proprius, generaliter nobis demonstrat, easdem talium effectuum esse causas, qui longo temporis cursu, incrementa atq; alterationes suscipiant suas: Sic pro naturẹ varietate, quẹ duabus quibuscũq; vel pluribus fixis, tã ex sensibili earum radio, quam ex virtute specifica inest, ipsius naturam euentus, qui à duabus, vel pluribus stellis fixis efficitur significaturúe, diuersam esse, est necesse.

LXXVI.

AGens debile, vt actionis fortioris specimen edat, quàm agens simpliciter fortius, sæpè vsuuenit: & hoc, aliquando propter diuersitatẽ subiectorum (in quẹ agunt) in dispositione sua natiua, siue artificiosa, aliquando autem propter alias causas.

LXXVIII.

NOn est ergo mirum, fixarum quasdam, quẹ inter illas minimẹ iudicantur, annis singulis certos atq; sensibiles in aëre & alijs rebus effectus producere: Tũ quòd illẹ (licet à nobis maximè distent) terra plus octodecim vicibus maiores existant: tum etiã, vel quòd materiẹ, in quã agunt, aptissimam inueniunt dispositionem · vel quòd ab aliquo planeta, earũdem corroborati radii, vi-

uacio-

uaciores quaſi, firmioreſq; in terram torquentur, vel ab accommodatiſsimo aliquo του περιέχοντοσ ad ſtellarum exprimendas vires loco, adiutę, tam exiguo temporis interuallo ſuarũ repetant virium effectiones. Quid de illis ergo fixis cogitare debemus, quarum aliæ totum terreſtrem globum ſua mole trigeſies, aliæ quinquageſies quater, alię ſeptuageſies, alię octuageſies excedunt? Sed illarum (te quęſo) quę terrę ſoliditatem, centies ſeptieſq; ſua complectuntur magnitudine, quantam credere debemus eſſe efficientiam? Ab omnibus ergo omnium ordinum fixis, diuiniſsima per cœlum diſtributis harmonia, quantam quaſi diuinitatẽ ſimul in terras deriuari cenſendum?

LXXIX.

SI ex Diei naturalis tempore, deducatur vna æquatoris periodus, reſiduumq; tempus in ęquatoris partes reſoluatur, clariſſimè apparebit quãta ęquatoris portio, verſus occaſum, verè naturaliterq;, (pręter ſuam integram periodum) intra vnius diei naturalis ſpacium, per aſcenſiones (Rectas, nominatas) promoueatur. Atq; hęc eſt vera & propria demonſtratio illius vtiliſſimę ac admirabilis aſtrologicę praxeos, quę cõmuniter DIRECTIO appellatur DIVRNA:

QVando illum æquatoris progressum Directorium, quolibet die naturali, secundũ ascensiones Solaris loci rectas, examinaueris, tunc vna etiam totius cœlestis Machinæ, alium quemcunq; libet, contuere locum: cuius quanta sit facta promotio Directoria, super vel meridianum circulum, vel horizontalem, tali loco accommodatum, interea temporis, dum illam principalem, in Solis loco metimur, diligenter annotabis. Directorij autem motus quantitatem, nunc per ascensiones vel rectas vel obliquas, definimus.

LXXXI.

EX Die Lunari, subtrahas æquatoris periodum, & quantum illo modo, in die vna lunari, cuncta cœlestia loca, pro ratione suarum vel rectarum vel obliquarum ascensionum Directoriè (vt ita dicã) protrudantur, clarũ euadet.

LXXXII.

PEriodus Horizontalis Diurna, planetę, stellęue fixę, est tempus quod fluit, dum illorũ centra per motum Totius Diurnum, ad eundẽ restituuntur horizontalem circulum.

LXXXIII.

EX Horizontali Solis vel Lunę periodo, vnã æquatoris periodum subtrahe: & residuum, illã ęquatoris portionẽ monstrabit, quę (pręter vnam

vnam sui integram reuolutionem) versus occasũ, talis periodi spatio, Directoriè promouetur.

LXXXIIII.

LIcet Solis & Lunę, generalissimę fuerint & clarissime vires, in hoc directionum artificio: Reliquorum tamen quinq; planetarum (maximè in eorum propriis significationibus) multiplices efficientiæ, simili debent obseruari disciplina: tam in eorum diurnis ad meridianos reuersionibus, quam ad horizontales quoscunq; circulos. Nullibi autem nos, aliis quam veris vti stellarum motibus, memineris. Valeãt ergo qui vel singulis diurnis planetarum directionibus, vel annuïs (de quibus alibi agemus) certam, eandemq; prescribunt vel graduum vel minutorum, quantitatem.

LXXXV.

PEriodi diurnę quinq; planetarum, quando retrogrado feruntur motu, æquatoris periodo sunt minores. Vnde per istos, tum ęquatorem, tum alia singula mobilia cœli loca versus orientem postponi est necesse. Hancq; æquatoris periodi anticipationem, Veteres, Directionem conuersam appellabant. Hanc autem tam ad meridianos quam etiam horizontes referri, non est necesse pluribus docere: aut æquatoris periodum ex retropedantium periodis diurnis quibuscũq;, auferri debere: cum satis per se sint

clara.

LXXXVI.

EX IOVIS periodis diurnis, ad æquatoris periodos comparatis, vera patet & physica demonstratio directionis cuiusdam, ab Antiquis, PROFECTIONIS ANNVAE, nūcupatę: In qua cœlestia loca, solum quinq;, per vnum circiter dodecatemorium, versus occasum promoueri tradunt. Verum si vel Profectionis istius partes, ad Iouis verum diurnum motum: vel ipsam annuam Profectionem integram, ad Iouis verum motū in vno āno solari, referre velis (vt natura te facere vrgebit) clarissimè tunc cernes, nec directo semper modo ista dirigi: nec eandem esse (singulis annis) graduum multitudinem, quæ vel super meridianos, vel horizontes varios, pro ratione Iouialis motus veri, integræ Profectioni annuæ respondet: Deniq; non solum quinque loca ita cōsiderari posse aut debere, sed infinita ferè, tam planetarum scilicet, quam fixarum. &c.

LXXXVII.

QVomodo DIRECTVS Planetę motus, non solum ad eiusdem maiorem supra nostrū Horizontem exhibendam Moram, confert, esse perpendendum: sed qua etiam ratione, intra suam Diurnam periodum, Harmonicam illam ęquatoris periodum complecti, eundem facit:

facit: & ad pręcipuum suum deniq; munus conficiendum (secundum eclipticę scilicet Longitudinem) multo reddit habiliorē, significamus. PLANETAS ergo, cursu DIRECTO progrediētes, generaliter iudicare fortiores, fortunioq; quodā affectos, non est à ratione alienum. Vnde motu Latos VELOCI, certissimum est, plus tum habere fortitudinis, suásq; tum fœlicius peragere significationes. Quando cum planetarum veloci cursu, etiam concurrit eorundē ad terrā propīquitas maior, ex Theoricis cōstare tibi potest.

LXXXVIII.

PLaneta RETROGRADVS, Naturę constans decretum quodam modo perfringere videtur: periodum suam diurnam breuiori absoluendo tempore quam ipse ęquator: cuius motus, eò quod citatissimus est, sibiq; semper ęqualis, Temporis fit nobis norma. Secundò cum ex generali Naturę instituto, Cœlestia cūcta, in motus diurni ratione, primū sequi mobile deberent, Retrogradus autem iste planeta, (quasi sibi commissis habenis) suo nisu, primo Mobili aliq̄ huius sui muneris particulā pręripere videtur. Tertiò ex Diurna sua quaq; periodo, aliquam illius vniuersalis Harmonię particulam excludit: & post aliquot elapsos dies, notabilem Totius portionem, versus ortum repulisse

pulisse videbitur: quādamq; magnam ęquatori Iniuriam intulisse: cum occasum ille versus perpetuò rotari debeat. Quintò, pertinax iste planeta, munus suum proprium, pręcipuumq; deserere videtur. propria enim cuiusq; planetę periodus, versus ortum absolui debet. Sextò, opportunitatē illā qua ad suas fortius exercendas vires, vti poterat, (ob moram supra nostrum horizontem maiorem) recusare iudicabitur. Nec Solem igitur, neque lunam (omnium corporearum creaturarum pręstantissimas, mundoq; elementari beneficentissimas, imò rerum hîc omnium quasi parentes) istis implicari retropedationibus, voluit Deus. Neq; reliquos quidem: nisi ad breue quoddam tempus, si ad integras eorum periodos, illud conferas) tali vti tergiuersatione, patitur. Verum nullo cum NATVRÆ VNIVERSALIS incommodo, hoc ab istis patratur. Non magis quam acerrimę illę infinitarum penè rerū Antipathię, NATVRÆ VNIVERSALIS statum vllo modo labefactant, quin ad gratissimum potius ornatum egregiè faciunt, & ad NATVRÆ perpetuandam incolumitatem, cōducunt vel maximè. EX RETROGRADATIONE tamen, particularis aliquis effectus (quem scilicet talis planeta in se receperat perficiendum) interim non promouetur, sed

qua-

quasi retroägitur: factaq́; infecta fieri videntur. At quis est, qui hęc non esse tum in politicis, tũ œconimicis negotiis necessaria, summeq́; interdum vtilia cernat? Satiusq́; esse recurrere (vt dicitur) quam male currere? Iuuat ergo interdũ planeta retrogradus, licet non directo ordine, sed quasi fortuitò, & ex abrupto: & in contraria ferè significatione.

LXXXVIII.

PLanetæ in maximis suis à terra distantiis, circa sua scilicet Apogęa versãtes, in rebus quarum tunc fuerint proprii significatores, fortius suas exercent vires, quã in eisdem faciunt, quãdo terrę, circa sua nimirum perigęa, proximi feruntur. Contrà autem, in aliis sibi subiectis rebus viuacius efficaciusq́; operantur in sua maxima ad terram propinquitate, quàm in eisdem operari possunt, quando à terra, quàm queant, longissimè distant. Huius Aphorismi demonstratio ex 45. 73. 77. & aliis prius explicatis aphorismis, maximum suum & lumen & robur habet. Vt ergo in eadem, rerum per eundem planetam significatarum, specie, distinctè exactéq; iudicium proferas, loca maximarum & minimarum à terra distantiarum, pro vnoquoq́; planeta, sint tibi prius nota.

XC.

QVoniã Solis non est semper æqualis potẽtia, nec eadẽ significãdi ratio: singulorũq; etiam planetarum sint distinctę significationes ac alię alięq; eorundem fiant vires, non debet idem de vniuscuiusq; planetę COMBVSTIONE, pronuntiari Iudicium. Licet autem Solis excellentissima fuerit & potentissima virtus, non tamen semper lædet dum alium planetã COMBVRERE Astrologi dicunt: fieri quidem potest vt ille, combusti planetę naturam ad amplitudinem quandam & magnificentiã euehat, eiusdem omne ius, in suas vires transferens. Sed dũ lædit, varia est ratio. Ex graduationum regulis de quibus supra aphorismo, 19, egimus, quid sit omni tempore de tali combustione statuendũ (quantum ad sensibilium radiorum operationem) simplicibus semel definitis planetarum naturis, clarissimè depromi potest.

XCI.

NVllus est terrestris globi locus, quem Sol, Saturnus, Iupiter, Mars, aut stella fixa quęcunq;, nõ illustrat suo directo sensibiliq; radio, spatio vnius suarum diurnarum periodorum, dum sub æquatore, secundum sua vera ferantur loca. Maximum igitur huius loci priuilegium: ex quo, tantillo tempore, totus terrę orbis, sensibilibus directisq; horum radiis illuminari, fo-

fouenq; possit.

XCII.

DVæ quæcũq; ſtellæ, in locis ANTISCIIS ſecũdum æquales, & in eandem mundi partẽ declinationes poſitæ, æquales ſupra eundẽ horizontem verum, acquirunt moras. Et in æqualibus ab eodem Meridiano diſtãtiis, omnes ſuę radioſę incidẽtię angulos, ęquales facient. Vnde per motum Totius diurnum, ſuis radiis, iſtę ſtellę, terreſtre quodcunq; corpus, per mutuas vices ita inuoluunt implicantq;, ac ſi eiuſdem illis eſſet ſimilis commiſſa cura. Ex natura ergo ita cooperantiũ ſtellarum, & interualli earũdẽ ſchematici, ſiue aſchematici ratione, qualis ab eïſdem, in (notæ conſtïtutionis) propoſito corpore, ſit generaliter expectandus effectus inueniri poteſt.

XCIII.

LIcet cœleſtis cuiuſq; circuli, ęquatori paralleli, pars illa, quæ Sub Meridiano alicuius loci extiterit, (ex omnibus illius paralleli partibus) cum eius loci horizõte vero, incidentiæ angulum faciat maximum: Tamen eclipticæ illa pars ſolum quę ab horizonte Nonageſima fuerit, altiſsimè ſemper ſupra horizontem eleuabitur. Hanc autem nonageſimã partẽ rariſsimè in Sphęra obliqua, at in Sphęra recta, ſẽper ſub Meridiano inueniri, cuiuis, vel mediocriter in A-

ſtronomicis verſato, notiſsimum eſſe ſcio. Hinc in locis, quorum Vertices inter ęquatorem & mundi polos fuerint, illa eclipticę pars, quę ſub meridiano, quocũq; propoſito tẽpore reperiatur, Cor cœli, appellari cępta eſt, Nonageſima autem pars ab aſcendente loco, Domus decima

XCIIII.

STellę omnes, vt ſunt Luminis participes, ita (pręter ſuorum inſenſibilium radiorũ & ſpecificas ſuas vires) caloris cuiuſdam ſunt efficientes cauſę.

XCV.

Vt SOL ſingula cœleſtia corpora, ſua ſuperat magnitudine, Sic cœleſtis Luminis quaſi fons perennis ac immenſus eſt: calorisq́; nobis, ſenſibilis, ac vitalis, pręcipuus effector.

XCVI.

ILlum Calorẽ, quem Solis radioſi Coni tota Baſis (ipſo tunc Sole, in ſui circuli Perigæo, & in minima Eccentricitate verſante) in illud terrenę Superficiei naturale punctum, quod tum ſui radioſi coni vertex fuerit, tum etiam cui Sol perpendiculariter imminet, efficiendo exercet (doctrinę huius noſtrę illuſtrandę gratia) eſſe potentię cuiuſdam, inſtar Sexaginta, ſiue centũ graduum, ponere ſolemus

XCVII.

NOn poteſt ergo nobis ignotũ eſſe, quãto calore ſuo proprio, aliud quodcunq́; terreni globi

bi punctum, cui SOL in quouis alio sui circuli loco, perpendiculariter imminere potest, afficiet: respectu illius sui maximi caloris.

XCVIII.

ET qui Solis sibi impendẽtis calorẽ, in aliqua cõuenienti materia aptè experiri nouerit, Is non secũdum proportionem solũ, sed etiã secũdũ rei veritatem, intelliget quantũ calorẽ omni alteri pũcto terrestri cui imminere potest, impertiet.

XCIX.

DAta proportione inter duos caloris gradus quos Sol in duobus diuersis sui Circuli locis, in terrena loca, illi perpendiculariter subiecta, exercet: Si, quocunq; dato tempore, (lucẽte nobis Sole) per aliquod artificium nostrum, à nobis sensibiliter excitari potest Calor, qui vni dictorum fuerit ęqualis, posſibile est etiam, per artificiũ & industriã nostrã, vel eodẽ momẽto, vel alio quocunq; (Lucẽte Sole,) talẽ caloris gradũ sẽsibiliter excitari, qui illi alteri sit ęqualis. Ad quãtã autẽ distãtiã, hic nõ est explicãdi locus.

C.

PEr hos eosdem Canones, accuratius examina, quantum reliqui planetę a Solis virtute calefactiua deficiant, ratione basium suarum Conicarum, respectu alicuius puncti terrestris cui perpendiculariter imminere posſint, in minimis eorundem à centro terrę, distantiis. Isto-

rum baſes & diſtantias, ad Solis baſim & diſtantiã comparabis: & calores ab iſtis procreatos intelliges. HOC tamen memoria tu ſemper teneas firma: vnumquemq; Planetam, ex ſui proprii corporis ratione, ſenſibilem aliam qualitatem, generali caloris comiſcere virtuti. Et qualis illa fuerit, non in omnibus ſolum planetis, ſed ſtellis etiam fixis, (Si 53, aphoriſmum experiaris) per lunam expiſcari potes : et aliis etiam viis. SOLI DEO GLORIA.

CI.

Varietas Lunaris caloris, in quodcunq; cui perpendiculariter imminere poteſt punctum, per Solis etiam canones cognoſci poteſt. Scilicet, ſi non ſolum eius, à terra diſtantiam, ſed ſuę etiam illuminatę partis conuexę, quę ad terram conuertitur, quantitatem, (inſtar ipſarum conicarum baſium in aliis planetis) quocunq; propoſito tempore examinemus. Non tam aptè tamen lunares ſeſe (ad operãdũ) coãdiuuare radios, in corniculari eius figura, quam cum ad orbicularem magis accedat, Cauti & diligentis Aſtrologi iudicio, relinquo conſiderandum: vt & alia in iſtis aphoriſmis multa.

CII.

VT LVX & MOTVS ſunt cœleſtiũ corporũ maximè propria, ita inter planetas, SOL, Luce

LVCE propria omnes alios ſuperat: et LVNA proprii MOTV ſpernicitate reliquos omnes vincit. Hi ergo duo, omnium planetarum, excellentiſſimi, meritò cenſentur.

CIII.

LVNa potẽtiſſima eſt humidarũ rerũ moderatrix: humiditatiſq; excitatrix & effectrix.

CIIII.

VT Solis excellentem LVCEM, pręcipuum vitalis caloris moderamen comitatur: ita cum LVNE MOTV, mira quadam analogia, coniuncta eſt eius vis humiditatis effectiua & moderatrix.

CV.

LVNA quò terrę propinquior, & proprio motu, quò fertur velociori, eò ſuum in res humidas, potentius exercet dominium.

CVI.

SOLEM & Lunam omnium in elementali mundo naſcentium & viuentium, tum procreationis tum conſeruationis, pręcipuas (poſt Deum) & verè phyſicas eſſe cauſas: ex his fit manifeſtiſſimum. Per Calidum enim et Humidum, παντα συγκρίνεται καὶ αὔξεται, (vt philoſophi noſtri verbis vtar). Iſta enim duo ſolũ, γονιμὰ ſunt.

CVII.

ANni conſtitutionem generalem, ex quoli-

bet ferè die, per quandam analogiam, esse demonstratã videmus. Habet enim quilibet Dies naturalis, suum, tum ver, tum Aestatem, tum Autumnum, tum Hyemem. Ex solo ergo Solis calore, per se partim, partim per accidens, omnes primæ produci possũt qualitates, & necessario ordine. In quibus si principia, media finesq; statuamus, Duodenarii cuiusdam rationem cernemus. Et pulchrum est considerare, quo modo tandem sub ipsis Mundi polis, ipse Annus est nisi instar Diei vni⁹ naturalis. Aphorismum istum ad altiora traducas, et maximum secretum habes, tu, qui Trinitatis in vnitate mysteria tractas physica: & ad Noctis multicoloris Nigredine, opus inuoluendum tuum, anhelas.

CVIII.

VIginti sex diuersas habitudines, quæ inter fixa sidera & Solẽ esse possunt, pro diuerso istorum & Solis in quatuor Angulis positu, ad alios etiam planetas transfer: maximè ad lunam: Sicq; consurgent, ex omnibus planetis, cum stellis fixis, hoc modo comparatis, 182 diuersę rationes, considerandę. Ex magnę constructionis Ptolomęi, libro octauo, has disces ad Solem habitudines.

CIX.

Corporis

CORporis imperfectio, proxima & maximè propria Mortis causa est, non Anima. Mortis ergo naturalis, causa quoque naturalis: Ex Naturę igitur generalibus gubernatoribus, generaliter pendet & pręsignificatur.

CX.

ANima humana, & forma vniuscuiusq; rei specifica, multò & plures & præstantiores virtutes, operationésq; habet, quam vel ipsum corpus, vel eiusdem rei materia.

CXI.

INsensibiles planetarum radii, ad eorum sensibiles, sunt instar animę cuiusdã ad suũ corpus.

CXII.

SIderum quędam, eatenus MALEFICA aliquãdo vocãtur, quatenus eorũ impressas vires, humana VOLVNTAS, in corrupta natura, ad malum exitum abire vel patitur, vel impellit: Ipsa enim sidera per se nihil operantur mali.

CXIII.

OMnium rerum in mundo elementari existentium, quęcunque fuerit diuersitas naturalis, ea ex duabus pręcipuè ꝓcedit causis: scilicet ex materiarum diuersitate, & varia stellicorum radiorum operatione.

CXIIII.

OMnis res quantumcunque exigua, in mũdo elementorum existens, totius cœlestis

Har-

Harmonię eſt effectus: ſiue exemplum quoddã & imago. At in quibuſdam rebus, hoc clarius quam in aliis apparet.

CXVI.

QVoniam Septem planetæ, 120 diuerſas cõiunctiones nobis exhibere poſſunt (ſcilicet dum bini coniunguntur, 21: dum terni, 35: dum quaterni 35. dũ quini 21, & dũ ſeni, 7: & dũ omnes ſimul copulãtur, 1) veriſsimeq; ſummus dictet philoſophus, quod ἐν ἀυταῖς κεῖται ἡ γνῶσις τῶν γινομένων ἐν τῷ κόσμῳ τῆς γενήσεως καὶ τῆς φθορᾶς, Circa illas 120 coniunctiones, generaliſſimam hãc nos proponimus Methodum. Quando ſolum duo ex ſeptẽ, copulãtur, 21 varię eſſe poſſunt cõiunctiones: & in illarum ſingulis, quis duorum planetarum fuerit fortior, conſiderari debet. Ex duorum ergo coniũctione, 42 diuerſę oriuntur conſiderationes: Eademq; ratione, ex trium corporali coniunctione, 210: ex quatuor, 840: ex quinq; 2520: ex ſex, 5040: & ex ſeptem, 5040 variæ conſiderationes prouenire poſſunt. Qui omnes conſiderationum modi, fiunt 13692: qui tantum ex corporalibus planetarum coniũctionibus pendent: eorum etiam viribus, generaliſſimè tantũ, & non ad certos gradus (vnde innumerę ferè myriades, conſiderationum variarum, procrearẽtur) ſuppoſitis eſſe inæqualibus.

CXV:

EX ANALOGIA corporum cœleſtium tam in ſeïpſis, variè conſideratorum, quam inter ſe mutuò comparatorũ: et illorum omologa ſemper, in iſto elementorum regno, (ex arte à nobis ſupra tradita) accuratè ſecernendo, ampliſſimam tu tibi viam ad perfectam Aſtrologię ſapientiam, ſternes.

Penitius Naturæ virtutes introſpicientes, eorumq; etiam, quæ ſuperius, clariſſimè variisq; modis, confirmauimus, ſatis memores: circa vnamquamq́; mundi rem, omnium ſeptem planetarum radios, ſecretioris influentię, aut ſẽſibiles principales vel accidentarios, omni tempore concurrere, cõmiſceriq́;, certiſſimum eſſe aſſerimus: perpetuamq́; horum omnium, in rebus mundi omnibus (effectuum certe naturalium ratione, licet non ſecundum ipſorum vera in Cœlo loca) manere coniunctionem. vnde ſi inęquales ſemper eorum eſſent vires, Natura 5040 modis variis generaliſsimis, eorum diſpenſaret operationes, quantum ad virium differentias. Verum, ſi interdum duos, ęqualibus fortitudinis numeris affici, interdum tres, interdum quatuor, interdum quinq́;, interdum ſex, & interdum omnes (licet rariſsimè) conſideremus: æqualitatemq́; iſtam vel in ſupremo vel infimo vel intermediis poſſe inueniri gradibus: varios inde modos, per methodũ prius explicatam, eliciemus 20295: quibus ſi iungamus inęqualitatis abſolutę modos 5040, conſurgent modi 25335, generaliſsimi quidem: in quibus per graduationũ regulas, philoſopho eſt digniſſimum exerceri: vtilitatem enim reportabit, &

 volup-

voluptatẽ immensam. Et quò istorum duorum Aphorismorum veritatem, rationemq́; logisticam intelligeres, en tibi praxeos nostrę quãdam formulam, in multis aliis etiam rebus vtilissimã. Facileq́; poterit industrius artifex, hác Methodũ ad infinitatem quandam extendere: & nõ pati in septenario solũ consistere numero

Pro Aphorismo CXVI.					Pro Aphorismo CXVII.		
1	1	0	0	0	7	5040	
2	2	21	42	2	6	15120	
3	6	35	210	3	5	4200	
4	24	35	840	4	4	840	
5	120	21	2520	5	3	120	
6	720	7	5040	6	2	14	
7	5040	1	5040	7	0	1	
			13692			25335	
Planetę inęq̃lis fortitudinis cõiuñcti corp.	Transpositiones secundum inęqualitatis generalia discrimina.	Varietates cõiuñctionũ binorũ ternorũ. &c	Coniunctionum variarũ per coniunctorũ numerum trãspositum, Multiplicationes.	Planetæ æqualis fortitudinis coniuncti.	Inæqualitas ex æqualitate producta.	Aequalitates secundum coniunctiones variatæ: & inæqualitatis (ex æqualitate profectæ) transpositione, considerationum rationes variæ.	

Quoniam ratio conſtructionis ſecundæ partis iſtius tabellę difficilior videri poſsit, vt ſtudioſi in hac re aliquantulum iuuentur, exemplo adhibito, eandem explicabo,. Si bini planetę tantum, ex ſeptem, æqualis ſtatuantur eſſe fortitudinis: inde inter omnium fortitudines, ſex generaliſsimę habebuntur differentię (vt ex quinta & ſexta columna patet) At per tertiam colũnã, binaria coniunctio inter ſeptem planetas, 21 varijs modis, alia aliaq́; eſſe poteſt: Et per ſecundam columnam, planetarum ſex inæquales fortitudines, 720 modis diuerſis cõſiderari poſſũt. Multiplico igitur 720 per 21, & prodeunt 15120. quem numerum in vltimæ columnæ ſecundo deſcendente loco inuenies: Eadem eſt operandi ratio, cum tres, quatuor quinq;, vel ſex, æquali ſupponantur eſſe prędititi fortitudine: Deniq; ad ampliorem huius rei explicationem, en tibi breuiſsimam operis formulam.

Planetæ æquali præditi fortitudine	2	21	Coniunctiones variæ ex binis planetis.
		Multip.	
Fortitudinum inæqualitates.	6	720	Tranſpoſitiones inęqualitatis in ſenario numero.
	Productum.	15120	

CXVIII.

CVm in anni alicuius Solaris Reuolutione, alterius planetę periodi principio, vel quo-

cūq; alio tēpore, fortis aliqua notabilisq; in cœlo fuerit vel planetarum inter se, vel planetarū cum fixis, configuratio: per totum terrę orbem astronomicè circumspice, quis locus fortissimā propriamq; cœli figuram in quocunq; velis significato, talis configurationis momento obtineat vel obtinere possit. Hinc enim non solum à naturis, euentus proprios maximè, sed ab euentibus egregiis Locorum terrę particulariū, proprias planetarum, fixarumue eliciendi naturas, modus datur insignis, secretusq;. Hinc etiam Sapiens (modò Cosmopolites esse possit) nobilissimā Scientiam haurire potest: siue de prosperis procurandis, siue remouendis noxijs: vel econtra: tam sibi quam alijs. Locorum terrestriū opportunitas, tanti est momenti.

CXIX.

Χάρις τῆς κοσμικῆς συμπαθείας, τοῖς ἀνθρώποις ἔνδειν ἐπιγίνεται: vt nos Mercurius ille termaximus docuit.

CXX.

Ἱκανὰ τὰ θεῖα, καὶ ἡ τούτων περιφορά, τὴν ἐν τῷ κόσμῳ τῶν φυσικῶν γινομένων, συνέχειαν φυλάσσειν.

SOLI DEO HONOR ET GLORIA.

LONDINI.

Excudebat Henricus Suttonus

Anno à virgineo partu

1558.

Mense Iulio.

Clarissimo viro D. Gerardo

MERCATORI, RVPELMVNDANO,
Philosopho & Mathematico
illustri, ac amico suo lon-
gè charissimo,

IOANNES DEE, LONDINENSIS,
S. D. P.



Ndecimus iam agitur annus (humanissime, doctissimeq́ue, mi Gerarde) ab illo, quo nostris ego relictis Academijs, omnibusq́ue nostrarum scholarum, in artium septem (liberalium dictarū) professione, percursis ordinibus: sine subere (vt in prouerbio est) nare, & in Regiones transmarinas cœperam peregrinari, ad ipsos inuestigandos fontes, à quibus hac nostra ætate, plurimi ad nos optimarum quarumq́ue Artium deducebantur canaliculi: & cum illis vitam ducere familiarem, quorum uel leuissimus quisque vnius diei in scribendo, labor, nobis antea domi desidentibus, per anni ferè unius spatium, satis (ad intelligendum) faceret negotij. Atque in isto primæ meæ peregrinationis inchoato cursu, quoniam in te, primum omnium, Louanij tum agentem, incidere, maximo mihi summi Numinis obtigit fauore: & ex tuis mecum disceptationibus, tum primas tum altissimas ut radices ageret tota mea pe-

regrina philoſophandi ratio: Nunc proinde ego eſſe æquum cenſeo, rationiq́; maximè conſentaneum, ut iam primò peregrinantes, laborum etiam tu meorum primitias, iure tibi uendices meritiſsimo. Et maximè, cum mutuæ noſtræ amicitiæ, familiaritatiſq́; conſuetudo ea erat, toto ut triennio, uix totos tres ſimul dies, alter alterius lubens careret aſpectu: & ea vtriuſque noſtrûm diſcendi, philoſophandiq́; auiditas, ut poſtquam conueniremus, tribus uix horæ minutis, ab arduarum & utiliſsimarũ rerum indagatione abſtineremus. An non huius noſtræ tam ſinceræ amicitiæ, & tam ſuauiter continuatæ philoſophandi rationis, gratiã, aliquod ſaltem συνταγμα, *uel monumentum, ſempiternæ hominum memoriæ commendare debuimus: ut inde ſuauiſsimum illud amicitiæ uinculum, quo noſtri in perpetuum copulantur animi, ſuis quoque nectere diſputationibus, poſtera ſtudioſorum excitetur ætas? Et non alter alterius uel contemnere ſtudia, uel eruditioni inuidere: capita ſed ſimul conferre, ad ueri inquiſitionem & utiliſsimas amplificandum diſciplinas. Atque ut hanc potiſsimùm materiam, hoc tempore mihi tractandam, eligerem: penultimæ tuæ ad me literæ, in quibus, de nobili illa, inter nos olim agitata, controuerſia, memoriam mihi uelle refricare, uidebaris, occaſionem dedêre. Nec in iſtius enodatione, ſeu potius demonſtratione, longiorem me nunc eſſe, uel ualetudo, quæ*

iam

quæ iam per integrum annum periculosissimè labefa-
ctata fuit (etiam si uoluissem maximè) tolerauit: uel
ipsa, de Cœlestium corporum uirtute, Disciplina, de-
siderare uidetur. Ex his enim quæ in medium attuli-
mus, tum ad infinitos particulares, in Arte casus, A-
podicticè procedendi haberi facultas potest: tum ipsa
præterea disciplinæ præcipua, in his sunt iacta, con-
firmataq; fundamenta: unde de alijs eius Artis quid
sit statuendum præceptis, industrio facilè constabit ar-
tifici. Non tamen infinitas multorum & ἀναιτιολογη-
τασ probo nugas, uel futilia decreta: quæ nec ipsi ta-
lium scriptores, rationum stabilire momentis possint,
nec ullus unquam alius, à Naturæ uiribus talia profi-
cisci, obseruando intelligere. Tu ergo qui NATVRAE
obseruātissimus esse Cultor soles: NATVRAE, in istis
Aphorismis, scrutare uirtutes ueras, uirtutes ma-
gnas, uirtutes paucis uix credibiles Sapientibus, at
paucissimis notas. Et ne τῶν ἀμυήτων τίσ, suo sibi ma-
lo, ea hinc expiscari, elicereue contendat, quæ illi non
sunt scripta, tu cum RECEPERIS, edicas publicè. At-
q; hæc hactenus. Cum autem in literis tuis ad me, ferè
omnibus, quid ipse præ manibus habeam, à me scire,
soles contendere: & in illis certe, quas ante nominaui,
penultimis mecum egisti maximè, ut magnum illud o-
pus meum Apodicticum, de Arte noua (ut tu uo-
cas) quàm primùm uel in lucem darem, uel eius te

ut participem facerem: me Scias, præter periculosissimum, quo toto iam proxime elapso anno laboraui, morbum, alia etiam multa (ab illis, qui. &c.) esse perpessũ incommoda, quæ mea studia plurimum retardauere: uirésque etiam meas, nondum posse tantum sustinere studij laborisq; onus, quantum illud, Herculeum penè (ut perficiatur) requiret opus. Vnde si mea haud queat opera uel absolui, uel emitti, dũ ipse sim superstes, Viro illud legaui eruditissimo, grauissimoq;, qui Artium Mathematicarum unicum nobis est relictum & decus & columen: nimirum D. D. Petro Nonio Salaciensi: Illúmque obnixè nuper oraui, ut, si quando posthumum, ad illum deferetur hoc meum opus, benignè humanitérque sibi adoptet, modisque omnibus, tanquam suo, utatur: absoluere denique, limare, ac ad publicam Philosophantium utilitatem perpolire, ita dignetur, ac si suum esset maximè. Et non dubito, quin ipse (si per uitam ualetudinémque illi erit integrũ) uoti me faciet compotem: cùm & me tam amet fideliter, & in artes, Christianæ Reip. summè necessarias, gnauiter incumbere, sit illi à natura insitum: uoluntate, industria, usúque confirmatum. Tuis igitur uotis, de laborum meorum euulgandis monumentis, nondum me posse satisfacere, licet iam clarè satis docui, Si tuæ tamen petitioni de scriptorum meorum habendo Catalogo, non responderem, meritò me maximæ damnares ingratitudinis. En tibi ergo eorum Titulos, quæ

per

per medias meas, maximásque difficultates, ita à me mihi composita, scriptáque extant, ut eadem (cum uiribus ualeam corporis, dulcique fruar ocio) in publicum producere (non mihi tantùm esse cognita) exopto tem maxime.

Περι Ακριβολογίασ τῆσ Μαθηματικῆσ. opus mathematicè demonstratum. lib. 16.

2 De Planetarum, Inerrantium stellarum, Nubiumq; à centro terræ distantiis: & stellarum omnium veris inueniendis magnitudinibus. lib. 2. demonst.

3 De Speculis comburentibus. lib. 5. demonst.

4 De perspectiua illa qua peritissimi illustrissimiq; vtuntur pictores. lib. 2. demonst.

5 De tertia & precipua Perspectiue parte, quæ de radiorum fractione tractat. lib. 3. demonst.

6 De Cœlestis Globi amplissimis commoditatibus. lib. 2.

7 Speculum vnitatis: siue Apologia pro Fratre Rogerio Bachone Anglo, in qua docetur, nihil illum per Dæmoniorum auxilia fecisse, sed Philosophum fuisse maximum: naturaliterq;, & modis homini Christiano licitis, maximas fecisse res: quas, indoctũ solet vulgus in Dæmoniorum referre facinora. lib. 1.

8 De noua Nauigationum ratione. lib. 2.

9 De Anuli Astronomici multiplici vsu, capita centũ. liber vnus.

10 De Itinere subterraneo. liber vnus.

11 De Trigono Circinoq; Analogico. lib. 3.

Aliorum adhuc tacebo nomina: qui tamen ante istorum quosdam (annuente Deo) publica frui luce possint. Hoc autem opusculum, (numero duodecimum) leui munitum armatura, tanquam Exploratorem, in uarias emitto regiones: ut uera mihi doctorum probo-

rumq; hominum referat iudicia, uotaq;, haec à me tanta tractari, lucique promitti argumenta. Vt ex istius Exploratoris relatione, mecum & doctis cum amicis, rationem ineam, num istas meas (qualescunque) copias, in peregrinos actûtum producere campos, uel domi, adhuc diligentius, in militari educare disciplina, debeam. Iam restat ut te maximè orem, egregia tua Inuenta, tam in excellentissima illa Philosophiæ parte, quæ Physica uocatur, quàm in geometricis, & geographicis rebus, publicis (quàm primùm queas) ut committas hominũ studijs: sic enim Rempub. literariam (de qua annos ante multos, multis magnisq; tuis laboribus, es optime meritus) istis utilissimis tuis, nouisque Inuentis, eximiè profecto amplificabis. Valeas: Cœptisque tuis pulcherrimis, Deus Opt. Max. exitus largiatur fœlicissimos. Iterum Vale.

Londini, anno à nostro nato Redemptore 1558, Iulij. 20.